

in simul aquarum in vase B & incrementa earundem in opposito vase C manifestissima continuaque notantes, & cum omnis aqua crocea ex altero quoque crure HC iam delapsa esset, limpida solum ex vase B per siphonem profluente, hujus defectum ex opposito vase C ad summum interim repleto supplentes, fluorem croceum novum per BDE &c. assurgere læti videremus; hac adeo experimenti parte prorsus contenti ac voti nostri penitus compotes.

II. Non est tamen tacenda circumstantia notabilis antehac nunquam à nobis nec in siphone hoc reflexo, nec in erecto simplici tubo observata. Nimirum utrumque epistomium in toto hoc aquarum decursu saltem ore tenus aquis manserat omnino submersum. Experturi ergo, num aqua ex crure HC prolapsura esset & fluxum ex altero vase B continuatura, epistomio C in apertum aërem patente, prout eodem in siphonibus vulgatis minoribus fieri solet; egregium se nobis non expectantibus exhibuit Phænomenon. Exhausto enim vasculo C donec epistomii apertura super aquam eminentis aëri liberum accessum concederet, hunc subito per C ad D & E &c. copiosis & grandioribus bullis eniti vidimus, & aquas non ex crure HC solum per epistomium C, sed ex altero quoque crure KB per epistomium B exprimere, sic interrupto penitus aquæ per flexuram BHC progressu; id quod in simul consecrari loco hoc nobis demonstrabat ad oculum: tametsi per altitudinem 30. pedd. notabiliter minorem aquas ope siphonis transfundere liceat, haut successurum tamen opus nisi in eo casu, quo cruris etiam longioris apertura, æquè ac brevioris, sub aquas demersa fuerit; ut Heronis & Portæ aquæductus per acclivia in valles oppositas, eo quo ab ipsis proponuntur modo, ne quidem sub altitudine 20. pedd. effectum speratum essent habituri. Cujus equidem causa est, non tam tubulorum horum paulò major laxitas, (siquidem infima epistomiorum apertura diametro suâ non excedebat amplitudinem vulgariarum siphonum, sed hanc ne adæquabat quidem) quam vel obliquitas viæ per epistomii lateralem aperturam in tubum, vel in primis altitudo columnæ aqueæ, quæ tanto majore pondere urgens infra subnixum aërem, hunc juxta tubi latera subrepere tantò magis cogebat, quantò difficilius tantum ejus pondus ab eo sustentabatur.

III. Successit autem etiam alterum experimentum Tentam. V. hujus Part. II. num. III. descriptum & hac vice in tubo hoc geminato iteratum, ex